



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Arelatensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

270 Epistolarum Innocentij III.

quando ad superiorem de-
voluantur.

* Leg. Conven-
tibus, aut Col-
legiis, aut Ca-
pucinis

Cap. Nulla. De
concess. prab.

rent, & obviarent fortius cupiditati mul-
torum, qui vacantes Ecclesias suis usibus
applicabant, tam antiquis temporibus
quam modernis certum tempus Canonici
& * Concilii praefixerunt ultra quod
nec Ecclesia debeat nec ecclesiastica
beneficia seu præbenda vacare; non ap-
probantes quod tamdiu vident, sed pre-
caventes ne diutiū Ecclesia quilibet solito
ministrorum obsequio defraudetur.
Nos etiam ipsorum ac præsertim felicis
recordationis Alexandri Papæ præde-
cessoris nostri statuta sequentes, auto-
ritate tibi præsentium indulgemus ut si
monachi Dunelmen, vel alii quilibet le-
ge diocesana tibi subiecti Ecclesias vel
præbendas ad suam donationem spectan-
tes ultra tempus in Lateranen. Concil-
lio diffinitum vacare permiserint, ex
tunc, monitione præmissa, sublato appella-
tionis obstaculo, eas tibi liceat idoneis
conferre personis. Nulli ergo &c. Da-
tum ut suprā.

EPISCOPO CESENAT.

Epist. 461.
De relaxando
interdicto.

Rediens de partibus Marchiae dile-
ctus filius C. rr. sancti Laurentij in
Lucina Presbyter Cardinalis, in quibus
legationem sedis apostolicæ habue-
rat, apostolatu nostro exposuit quod
pro eo quod Cesenat. cum Marchoardio
juraverant, & saepius requisiti a fide-
litatem Ecclesie redire noluerunt, ter-
ram ipsam interdicto supposuit. Quia ve-
rò, sicut tam per literas tuas quam etiam
populi Cesenat. nobis præsentatas acce-
pimus, Marchoardi societatem penitus
reliquerunt, cum aliis civitatibus Ro-
mandiolæ conjurantes, tuis & ipsorum
precibus inclinati, fraternitati tuae per
apost. scripta mandamus quatenus rece-
pto à tot & talibus quot & quales pro
societate Ravennat. de Cesenat. jurave-
runt, secundum formam Ecclesie jura-
mento quod super his pro quibus inter-
dicti fuerunt nostro debeat parere man-
dato, interdictum auctoritate nostra re-
laxes, reservans mandatum usque ad no-
stræ beneplacitum voluntatis. Datum
Laterani Idibus Decembris.

RAD. PETRAGORICEN. Episcopo.

Epist. 462.
Quod laici de-
cimas à Cleri-
cis exigere non
possint.

Quoniam indignum est, & rationi
contrarium, ut laici, qui perso-
nis ecclesiasticis decimas tenentur exol-
vere, eas à Clericis rerum ordine præ-

posta confusione turbato extorquere
praesumant, ad petitionem tuam univer-
sis monasteriis, Ecclesiis, & Clericis tuę
dioecesis duximus indulgendum, ut si for-
tè quilibet laici suo nomine decimas ab
eis amodo consuetudinis obtentu longe-
væ vel aliis occasionibus duxerint exi-
gendas, sit eis liberum quod ita postula-
bitur denegare. Si verò laici, suæ animo-
sitas spiritu concitati, violenter aliquid
voluerint adversus præsentis indulti be-
neficium attentare, tua fraternitas ap-
pellatione remota eos ecclesiastico in-
terdicto supponat. Datum Laterani
XVIII. Kal. Ianuarij.

CAPITVLO ARELATENSI.

Qvanto recentior est in Ecclesia ve-
stra religionis introducta planta-
tio, tanto diligentius in ipsis primordiis
est cavendum ne aliquid honestati con-
trarium nutriatur; quod cum ex confue-
tudine fuerit confirmatum, ordinis cla-
ritatem obtenebret, & difficilius, post-
quam invaluerit, extirpetur. Cum au-
tem ubi regularis ordinis professio ante-
cessit, una esse debeat mensa fratrum, &
unum dormitorium eorumdem, nisi aliquem
quandoque infirmitas vel alia ju-
sta causa excludat, præsentis scripti pa-
gina prohibemus ne aliquis vestrum,
post factam professionem, nec etiam ali-
quis Canonicorum seu Clericorum secu-
larium, obtentu alicujus consuetudinis
cibos, qui sibi ex administratione quotidi-
ani stipendijs apponuntur, extra clau-
strum vestrum de cetero audeat expor-
tare; sed infra, in locis ad hoc speciali-
ter deputatis, simul dormiant, & man-
ducent. Statuimus insuper & auctoritate
apostolica prohibemus ne aliquis Cano-
nicus vel Clericus Capitulis vestris ali-
qua occasione nolentibus vobis intersit,
nec quisquam ex ipsis vestibus rubeis
vel viridibus seu capis manicatis vel aliis
religioni contrariis uti aliqua insolentia
seu temeritate præsumat. quod ab-
jecta secularitatis saperet vetustatem,
& scandalum in populo generaret. Illi
verò qui super præmissis culpabiles de
cetero potuerint inveniri, secundum
Archiepiscopi vestri arbitrium canonici-
cam subeant appellazione postposita ul-
tionem. Constituimus etiam & præsen-
tium auctoritate sancimus ut Clerici Ec-
clesie vestre, qui non possunt, prout
optarent, in ipsa Canonici fieri secula-

Epist. 463.
Quodam Sa-
tua super via
ipsorum in-
tuncur.

res, postquam fuerint ad alias translati Ecclesias, & in eis præbendas seu alia ecclæstica beneficia consecuti, occasione attitulationis seu alia causa nihil sibi juris in Ecclesia vestra valeant vendicare, nec provisionem exposcere, nisi habitu religionis assumpto, cum aliis fratribus ibidem assidue servituri. Nulli ergo &c. prohibitionis atque constitutionis &c. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

ARELATENSI ARCHIEPISC.

Epiſt. 464.
Vt Abbatem S.
Gervasi, ad
obedientiam
a quo officium
reducatur.
Vide infra epif.
476.

INcumbit nobis ex debito pastoralis officij ut justa postulantibus audienciam cum efficacia præbeamus; maxime ubi eorum vota & pietas adjuvat, & explorati juris veritas non relinquit. Ad audienciam siquidem nostram te significante pervenit quod Abbas sancti Gervasi de Fos excommunicatos & interdictos tuos pariter ad divina & sepulturam admittit, procurationes debitas, obedientiam, & reverentiam, prout de jure tenetur & debet, exhibere tibi penitus contradicit. Nolentes igitur ut iuri tuo per eundem Abbatem super hoc valeat derogari, auctoritate tibi præsentium indulgimus ut in ipsum Abbatem, si in hac parte duxerit persistentem, nullius contradictionis vel appellationis obstaculo censura possis ecclesiastica coercere. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Decembris.

R I C A R D O ABBATI
& Capitulo Compendien.

Epiſt. 465.
Ipſorum juris-
dictio & privi-
legia conser-
vantur.

CVm à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu jurisdictionem & potestatem quam super Clericos infra terminos Compendij habitantes usque ad hæc tempora rationabiliter habuistis, & nunc etiam justè & pacifice posseidetis, vobis & per vos Compendien monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuentes ut nulli &c. Datum Laterani XVIII. Kal. Ianuarij.

ARELATENSI ECCLESIAE
ſuffraganeis.

Epiſt. 466.
Vt Archiepi-
ſcopo ſuo ob-
diens.

CVm secundum doctrinam evangelicam, quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eis eadem facere debeatis, eam reverentiam vos convenit præstare Prælatis quam vobis vultis à subditis exhiberi. Sanè cum vene-

rabilis frater noster Arelaten. Archiepiscopus Metropolitanus vester illis studiis & meritis adjuvetur ut commendationibus non indigeat aliorum, fraternitati vestra duximus auctoritate præsentium injungendum, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus ei tanquam patri & Episcopo animarum vestiarum devotè studeatis & humiliter obedire, ad vocationem ipsius, nisi evidens necessitas contradicat, secundum traditionem canonicanam sine difficultate qualibet accedentes. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

A R C H I E P I S C O P O
& Capitulo Arelaten.

Epiſt. 467.
Vt in Ecclesia
Arelat, nullus
recipiat in
Canonicū, niſi
qui profici
voluerit ordinē
Canonicorum
S. Augustini.

Nihil magis esse religioni contrarium credimus vel absurdum, quām si in eadem Ecclesia in professione & ordine & religione ac moribus & vita & habitu servitorum diversitas nutriatur. Ne igitur in Ecclesia vestra, in qua regularis ordo noscitur institutus, hujusmodi ultrâ confusio se pernicioſe valeat immiscere, auctoritate præsentium districtiū prohibemus ne in Ecclesia vestra de cetero cujuslibet meriti vel nobilitatis instinetu aliquis in Canonicum vel in Clericum admittatur, vel Præpositum, aut Decanum, aut aliquem officialium penitus eligatur, niſi professione & habitu se regularem ostendat, & secundum beati Augustini regulam in clauſtro & Capitulo regulariter converſetur; ne status religionis, qui jam ibi per Dei gratiam confirmatus esse dignoscitur, alicujus mutabilitatis dispendio subvertatur, & resilire paulatim à religiosis proposito cujuslibet prætextu maliitia compellatur. Datum Laterani Nonis Decembris.

C E N A D I E N . E P I S C O P O .

Epiſt. 468.
De infirmis ex-
communicatis
ad cauelam
abſolvendis, do-
nec revaleſcat.

LIcet ecclesiasticis institutis, quæ provida deliberatio sanctorum patrum instituit, à nullo debeat obviari; tamen cum justa contingit impedimenta concurrere, que institutorum ipsorum ex necessitate procelsum impediunt, juxta discretionem in medio residentis rigor est ecclesiasticus temperandus. Vnde nos tuae justæ petitioni faventes, ut valetudinariis, senibus, & infirmis diocesana tibi lege subiectis, qui pro injectione manuum in personas ecclesiasticas in canonem latæ sententiae incide-